



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Robur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

levi vulnere cruorem eliciebant, atque invicem lambebant: idque fœdus arcanum, quasi mutuo cruore sacratum haberi solitum.

FURIÆ ORESTEÆ. CAP. VI.

Qui vero digitus lapideus parvo olim tumulo superpositus erat, inter Megapolim & Messeniam in regione Mania nuncupata, à quo quidem digito tumulo nomen fuit, non alia de causa erectus fertur, auctore Pausania, nisi quia Orestus furis agitatus unum ipsemet sibi à manu digitum abroferit, remque eo monumento notare voluerit.

PACIFICATIO. CAP. VII.

Sed quoniam ad pollicem reversi sumus, qui aliorum dux est & dominator, super eo quædam quæ hieroglyphicum sapiunt, apponemus. Hic inter alia significata compositæ pacis hieroglyphicum cum apud Romanos habitus: eo quippe gestu, ut manus porrecta subjiceretur. Rem tangit Quintilianus Rhetor, ubi ait: *Qui gestus in statuis pacificatorum esse solet, qui inclinato in humerum dextrum capite, brachio ab aure præsenso, manum inflexo pollice extendit*, quod perperam in codicibus aliquot impressis legitur, *inflexo pollice*, quod nihil est. Atque hinc locus apud Papinium Sylva prima intelligitur: *Dextra venter pugnas*, ubi de gestu hoc dubio procul accipiendum: de quo quia multa alii, rem ego breviter subtrixi. Hunc gestum periti antiquitatum agnoscunt in Marci Aurelii statua, quæ nunc ante Lateranas ædes, ex ære, magnitudine colosseæ, equo insidens visitur: dexteram enim porrigit resupinam, inclinatam, digitis disjunctis, pollice deorsum verso.

FAVOR. CAP. VIII.

Favor autem assensusque alienæ victoriæ præstitus: aut, cum aliquem strenue facientem laudare vellent, per sublatum pollicem exprimebatur. Hinc illud apud Horatium, epist. 18. lib. 1.

Fautor utroque tuum laudabit pollice ludum.

Mos attol-

lendi polli-

cis, varia

d. notat.

hoc est, *maxime favebit*. Quippe si pollicum alter fatis est ad favorem indicandum, uterque in eum gestum adhibitus quam maxime favere profitebitur. Nam & qui certabant, cum succumbere se, & hosti victoriam cedere fatebantur, pollicem sustollebant. Unde illa in victos apud Græcos imperitatio, *αἴεξ δακτύλου*, quod alio de more nostri *Herbam dare* dicere maluerunt. Nostro vero tempore cum universa Italia, & tota etiam Europa alterutri ex duabus factionibus damnata sit, moris est, his pollicem, illis indicem attollere, si cui faveant factioni, attestari voluerint, idque utinam studio non tam perditio fieret: non enim Italia omnis sibimet adversaria, omnium hinc præda exposita, tot citades, direptiones, incendia, desolationesque suarum jam omnium urbium, tam continenti per tot annos bello pateretur, seque mox ob solam suorum pertinaciam, implacabileque dissidium, ruituram miserabiliter deploraret.

Tolle digi-

tum, hoc est

fateri te

visum.

Guelphorū

& Gibelli-

norum.

TRUCULENTIA. CAP. IX.

Versus pol-

lex, quid.

Quem vero versum pollicem apud Juvenalem, & aliquot alios legas, nihil habentem cum favore simile, sciendum est id tyrannorum quorundam signum fuisse temporarium, ut eo scilicet tempore sicarii percussoresque in eadem trucidationemque populi debacchari inciperent, cum signum id versi pollicis ab Imperatore datum observassent. Qua de re, scholis omnibus nota, & nihil ad hieroglyphica pertinente, plura dicere non puto necessarium.

ROBUR. CAP. X.

Pollicis ety-

mologica

ratio.

Quo dem-

tio mon-

cus sit futu-

rus ma-

nuus usus.

ID potius referemus, robur validasque vires per pollicem significari, si surrigatur, quatuor reliquis ad volam appressis. Nam ea de causa *ἀντίχειρ*, à Græcis dicitur, quod pari cum reliqua tota manus robore contendat, alteriusque manus vice fungatur, ut Galenus interpretatur. Apud Latinos autem quo præcipue polleat, nomen habet: is enim dominatur in manu, nec in sinistra cessat, quam is et tota sit ignava, neque minus quam tota manus semper in officio est. Quin & veteres hunc præstare aliis intelligentes, Hallum eum appellabant, quod in reliquorum dorsa unus omnium insisteret: inspirationem enim loco S litteræ positam nonnunquam ab antiquis invenias, & vice versa, S pro H. Sed longe simplicius est hallum ab *ἀλλω* vel *ἀλλομαι* deducere, id enim salire est.

INUTI.